

SUPREMUM OFFICIUM  
MEMORIÆ SEMPITERNÆ

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLIS-  
SIMI ATQUE CONSULTISSIMI,

DOMINI

PETRI

à LENGERCCKE,

J. U. L. ET INCLYTÆ REIP.

HAMBURGENSIS CONSULIS

PRÆSIDIS MERITISSIMI, NUNC  
DESIDERATISSIMI,

IPSO EXEQUIARUM DIE, VII. CALEND. DECEMBR.  
ANNI MDCCIX.


PUBLICO NOMINE PERSOLUTUM

A

JOH. FRIDERICO WINCKLERO,

EBR. ET ORIENT. LING. PROF. PUBL.

ET GYMNASII HOC ANNO RECTORE.



HAMBURGI,

Typis CONRADI NEUMANNI, Ampl. Senatûs & Gymnasii Typographi.

## J. N. J. C.



Ermagni Reipublicæ interessē ju-  
 dicabunt omnes, Virorum de ipsa opti-  
 me meritorum memoriam a sempiterna  
 oblivione acerrime vindicari, amplissi-  
 misque consecrari monumentis, quæ  
 nulla temporum injuria aboleantur. Ipsa  
 æquidem justitia, quæ suum cuique tri-  
 buit, id postulare videtur, ut illorum lau-  
 des literis celebrentur, quorum opera Respublica feliciter  
 maximoque suo commodo usa est. Uti enim in communi  
 vitæ consuetudine magni refert, grato animo aliorum in  
 se benefacta perpetuo recolere, & quantum amico quis  
 debeat libenter agnoscere, ita universam Rempublicam  
 id sanctissime observare vel maxime convenit, quippe  
 cum studia in illam collata non in occulto lateant, sed in  
 omnium oculis posita sint atque manifesta. Magis ta-  
 men illud vel ob summam, quæ in ipsam Rempubl. re-  
 dundat, utilitatem faciendum esse apparet, quod publica  
 ista monumenta præclarissimum exemplum suppeditent  
 posteris ad similiter bene de patria merendum suamque  
 diligentiam eo collocandam, ut majorum gloriam vere  
 imitentur. Ea sane est humani ingenii indoles, ut exem-  
 plis magis quam præceptis argumentive ad virtutem mo-  
 veri se patiat, ac alienæ laudis stimulis magis quam ulla  
 re alia concitetur ad perpetranda similia præconio digna.  
 Id spectarunt Veteres pariter Græci ac Romani, qui Ci-  
 vibus suis, si quid pro patria illustre fecissent, non litera-  
 rum solum annaliumque monumentis parentandum esse  
 censuerunt, sed & statuas & imagines illis in foro locisque  
 publicis dicarunt, quæ reliquos & posteros vel solo aspe-  
 ctu invitarent ad facta ipsorum gloriosa imitatione expri-  
 menda. Quid Themistoclem, adolescentem perditum  
 & dissolutum, ad tot tantæque prudentiæ & fortitudinis  
 specimina in bello ac pace danda impulit quam Miltiadis  
 exemplum, cujus trophæis e somno quoque suscitatum  
 se affirmavit? Quid quæso plurimos alios ad summa pro  
 communis rei patriæ salute audenda adduxit, præterquam  
 res gestæ antiquorum, posteritati traditæ justisque enco-  
 miis decoratæ? Ipse DEUS O. M. cujus voluntati ho-  
 minibus absolute parendum est, ad nostram tamen im-  
 becillitatem se accommodare haud gravatur, utque ad  
 morum innocentiam & integritatem quam jucundissima  
 ratione

ratione mentes nostras incitet, patrum, avorum, majorum actiones virtutibus consentaneas nobis proponit, quæ invitis stimulos admoveant, eoque propellant, quocursum ipse institui voluit. Jojakimo Regi Judæ, de labante regno erigendo. confirmandoque securo, contraque ad subditos innocentes iniquissimis judiciis opprimendos ac magnifica ædificia exstruenda unice intento, præter alia, quibus eum a pessima gubernandi ratione revocabat, Jobæ patris, frugalissimi sanctissimique Regis, reique tam politicæ quam sacræ instauratoris ac confervatoris egregii, exemplum ob oculis ponit, ut vel illo ad meliorem mentem perduceretur; (†) quod cum is non curaret, negligentia suæ poenas dedit gravissimas. Quare si DEUM sequatur Respublica, suorumque præclara in se merita collocatis propalam monumentis: omni posteritati imitanda commendet, quis non hoc illius consilium sapientissimum laudibus efferat ac ornet? Enimvero licet viris bonis omnibus honorem hunc communem esse oporteat, illum tamen vel maxime his deberi ratio dicitur, qui ad gubernacula reipubl. sederunt, eamque auctoritate sua moderati sunt pulcherrime, ac compluribus beneficiis cives sibi devinxerunt. Quod si enim a milite gregario plurimum distat summus belli dux, ejusque facta fortia ac heroica omnium oculos a reliquorum virtute contemplanda ad se convertunt & rapiunt, quod hi ipsius ductu & imperio rem bene gesserunt: quidni & privatorum industriae longe anteferenda sint Magistratum, illorumque qui cunctis præfuerunt, in patriam officia, quibus, ut ceteri quoque munus suum digne explerent, effecerunt? Quare si omnium solertia gravem prædicationem meretur, tum sane Magistratum acta illustria sempiternis monumentorum elogiis quam honorificentissime commemoranda literisque consignanda esse æquum est & justum, quo & ij, qui futuris ætatibus eundem dignitatis gradum sunt assecuturi; habeant gravissima laborum periculorumque pro Reipubl. incolumitate & naviter suscipiendorum & fortiter sapienterque perfungendorum incitamenta. Quantis vero ornamentis illos afficiendos putabimus, qui, magistratum calamitosissimo tempore adepti, rempubl. tantum non collapsam ex certissimo periculo extrahere inque tuto collocare, nulla virium ac vitæ, opum facultatumque habita ratione, vehementer laborarunt? Illos non inanibus verborum elegantissimis prosequendos, sed patriæ conservatores, quo titulo nihil dari potest magnificentius;

(†) Jerem. XXII, v. 13. seqq.

us, in perpetuum appellandos, illorumque benefacta immortalia non tam imitationis quam admirationis gratia annalibus mandanda jure meritoque dixerimus.

Quorsum hæc a me allata sint, intelligent facile, qui descriptionem hanc honori Viri quondam Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi atque Consultissimi, Dn. **PETRI à LENGERCKE**, J. U. L. & inclytæ Reipubl. Hamburgensis **CONSULIS PRÆSIDIS** meritissimi, dicatam esse meminerint. Quis enim ignoret, licet multæ civilium motuum tempestates jam superioribus temporibus Civitatem nostram affligerint, quibus eam feliciter tum subtraxerunt Venerandi ejus Rectores, non tamen comparandas eas esse cum immoderata ac horribili illa sævienti discordiæ procella, quæ nostra ætate, præcipue recentissima, rempubl. libertatem, leges, sacra denique omnia funditus evertura videbatur? ex qua calamitate maxima cum Nobilissimi Patriæ Patres urbem prope desperatam prudentia, consiliis, curis, laboribus periculisque suis incredibilibus eripere, remque eo deducere conati sint, ut spes plenæ serenitatis summæque tranquillitatis certissima nobis affulgeat, fas omnino est, illos ab omnibus atque singulis tanquam numina salutaria suspici & singulari excipi veneratione. Cumque in his, & quidem in principibus, hætenus extiterit Dominus **PETRUS à LENGERCKE**, qui illis ipsis temporibus turbulentissimis sæpius, & hoc quoque anno Consul Præles fuit gravissimus, quemque nunc fatali morte extinctum cum splendidissima familia Senatus Amplissimus & universa Civium multitudo tanto consensu accerbissime luget & deplorat, quis est, qui tanti Viri nomen ad immortalitatem consecrandum esse vel dubitare audeat, si justissimam summæ ingratitude vituperationem effugere velit? Quare cum & mihi hoc negotium impositum sit, B. **CONSULIS** nostri merita ab omni posteritate commemoranda exponere, eo lubentius id ipsum facturum sum, ut & meæ & bonorum omnium in ipsum pietatis debitæ testimonium extet publicum & luculentissimum. Neque vero amplam adferam laudationem, quam, utut justam meritamque, a me pro tanti Nominis splendore nequicquam expectari haud erubesco profiteri; in primis cum & pagellarum numerus descriptionem meam contrahi jubeat: sed paucis exhibitio vitæ curriculo me expediam, aliis lampada illam Nostrum pro dignitate laudandi sine ulla recusatione traditurus.

Lucem itaque primum aspexit in urbe hac, totius Germaniæ celeberrima,  
 Anno superioris sæculi uno & quinquagesimo, mense Julio, die octavo ac deci-  
 mo, ex familia honestissima prognatus, quam ipse aliquantulo, summis in civita-  
 te honoribus perfunctorus, illustriorem redditurus erat. Patrem habuit JOHAN-  
 NEM, Mercatorem florentissimum, ac Curatorem ædis D. Nicolao dicatæ Jura-  
 tum integerrimum: Matrem ELISABETHAM, ex Middeldorpiana stirpe oriun-  
 dam, feminam sanctissimam. Simul ac natus fuit, Parentes optimi filium hunc  
 suum, quem ab ipsa nascendi origine peccato contaminatum probe agnoscebant,  
 ad sacratissimum Baptismi lavacrum adducendum sedulo curarunt, ut sanguine Ser-  
 vatoris JESU CHRISTI ablutus, Divinoque Numini foedere junctus gratiam illius  
 per integrum vitæ spacium diligentissime retinendam consequeretur. . . . Tum vero  
 perspecta in puero singulari ingenii felicitate & erecta quadam ad virtutem indole,  
 sine ulla cunctatione litterarum studiis eum destinaverunt, graviter se peccaturos exi-  
 stimantes, nisi de ingenio ad summa nato recte excolendo essent solliciti. Itaque  
 quamprimum per ætatem sufficeret percipiendis tirociniis, Scholæ patriæ præce-  
 ptoribus traditus est, & sub illorum ductu brevi ita profecit, ut aequalibus, quos  
 in condiscipulatu habebat, cederet nemini. Anno istius sæculi quarto & sexagesi-  
 mo Patrem carissimum amisit Noster, cumque Mater piissimarillius educandi cu-  
 ram sola jam suscipere necesse haberet, suadentibus propinquis & amicis eodem  
 anno in Scholam Suerinensem ablegandum censuit, in qua humanioribus litteris ma-  
 gis magisque imbueretur, & Latinæ præsertim linguæ peritiam, ad strenuam fu-  
 turorum studiorum tractationem necessariam, adipisceretur. Inde biennio exacto  
 ad celeberrimam illam in terris Electoralibus Saxonis Scholam, Porta ei nomen  
 est, quæ tot homines eruditos ingenti quasi agmine produxit, missus fuit, ut,  
 quas didicerat, litteras ulterius persequeretur, eaque studia absolveret, quæ ma-  
 gno ipsi in posterum adjumento esse poterant. Consilio sane sapientissimo, licet ab  
 hodiernis moribus prorsus alieno: hodie enim adolescentes ex scholis in Gymnasia,  
 inde in Academiis se propriunt litteris plerumque inopes, cumque artes triviales  
 vix supremis, quod ajunt, labris degustarunt, ad studia graviora immani saltu  
 transiliunt, successu & sibi & Reipubl. ac Ecclesiæ admodum infelice. Aliter LEN-  
 GERCKENIUS Noster studiorum rationem ineundam sibi esse putavit, qui, ut in  
 Gymnasio & Academiis cum fructu versari posset, artes & linguas necessarias ante  
 fideliter percipere voluit, eamque in rem Lycei istius magistris summo studio se  
 applicuit, illorumque vicissim amorem industria sua singulari sibi conciliavit. Post  
 quam triennium ibi vixerat, ad patrios lares reversus, Gymnasio nostro à B. MI-  
 CHAELÉ KIRSTENIO, Med. Doct. & Professore primo adscriptus fuit, quem  
 & RUD. CAPELLUM, S. Theol. Doct. Græcam Linguam & Historias profi-  
 tentem, assidue audivit, illorumque institutione in dicendi exercitatione, & disci-  
 plinis Philosophicis ad discendis usus, majora in dies studiorum incrementa cepit. Ita  
 probe instructus anno MDCLXXII. Musarum illud ad Elmum domicilium adiit,  
 Juris, cui se dicaverat, cognoscendi causa, ubi tum temporis, ne de aliis di-  
 cam, eminebant summi illius Antistites, JOH. EICHELIUS, & HULDER-  
 EYBENIUS, qui ob spectatam sapientiam postea ab Academicis subselliis ad sum-  
 mum in Germania tribunal, cui olim Spira Nemetum, nunc Wetzlaria domici-  
 lium ac sedem præbet, evectus est; nec non illustre ornamentum illud, HERM.  
 CONRINGIUS. His Viris Noster operam sedulo dedit, hos coluit ac observa-  
 vit, horum ludos privatos domesticasque recitationes frequentavit, illis quoque  
 in publicis acroateriis docentibus assiduam ac attentum auditorem se præbuit, omnes-  
 que intendit nervos, ut pectus suam amplissima rerum humanarum divinarumque  
 cognitione impleret. Neque tamen, quas illuc attulerat, elegantiores litteras ne-  
 gligendas esse existimavit, sed ad illas confirmandas adque usum transferendas  
 CHRISTOPH. SCHRADERUM, Oratorem disertissimum, magistrum adhi-  
 buit, illiusque præceptis se in ista, quam a benevola natura acceperat suaque in-  
 dustria excoluerat, dicendi facultate plurimum adjutum esse gratus agnovit. Con-  
 sectis hac ratione stipendiis Academicis, in exteris regiones partesque Europæ cul-  
 tiores excurrere decrevit, eo quidem instituto, ut & animum omni scientiarum  
 genere

genere imbutum foris majoribus sapientiae incrementis perficeret, & praestantissimorum excellentissimorumque Virorum amicitias sibi compararet; inprimis vero, ut perulstratis potentissimis Rebuspubl. & Regnis, inspectisque aulis splendidissimis, ea, quae viro politico usui esse possunt, ipse observaret, adque commodum suum egregie converteret. Hunc verum finem esse suscipiendarum peregrinationum optime intellexit Noster, cumque sibi praescrisit, detestatus morem non paucorum sed quamplurimorum, qui impensis sumptibus maximis parentum pecuniam helluando inhonestissimisque cupiditatibus serviendo effundunt, eaque ratione extincta omni vi animi, roboreque aetatis debilitato, vitis pestiferis inquinati redeunt, & sibi & suis opprobrio futuri & dehonestamento. Proposito itaque tam laudabili itineri se commisit anno MDCLXXV. & primo Bataviam petiit; cumque inter celebriores illius Academias Lugdunum ipsi arrideret, tempus aliquod in ditissimo illo bonarum litterarum mercatu exigere, & partas eruditionis copias amplificare voluit. Batavia relicta in Britanniam trajecit, insulam Europae maximam, vel ea ratione ductus, quod patriae suae plurima negotia cum illa intercedere probe norat: unde porro, lustratis omnibus, quae peregrinantium ingenia mirantur & stupent, in Galliam transmisit. Hic, praeter urbes alias, potissimum Lutetiam Parisiorum, Regni amplissimi sedem nobilissimam, & vicinos illi secessus Regios omnibus notissimos, contemplandos censuit; posteaque Aureliam concessit, Academia & praecipue eruditissimis in Juris Romani disciplina Professoribus clarissimam, ex quorum conversatione ut acquisitam legum peritiam confirmaret ac augetet, ali quantum ibi est commoratus. Ex Gallia iter ad Helvetios instituit, ac inprimis Basileam se contulit, urbem pulcherrimam & Academia insuper nobilem. Ibi cum reditum ad patrios penates meditaretur, anno MDCLXXVII Gradum in utroque Jure, utpote justissimum industriae suae praemium, decenter ambivit. cumque examini Juridico se subjecisset, inque eo ac in Disputatione quam die V. Octobris de foro competente habuit, omnibus se quam cumulatisime approbasset, more majorum Juris Utriusque Licentiatu publice & solenniter renunciatus est, gratulantibus cunctis Hamburgo LENGERCKENIUM suum tanta eruditione ornatum mox recepturo. Hinc Viennam Austriae, Augustissimi Imperatoris sede illustrem, profectus est, ex qua iter ipsi in Hungariam usque ad fines Turcicos paravit, indeque regressus in patriam properavit, cui, vilitatis in transitu praecipuis Serenissimorum Germaniae Principum aulis, salvus tandem & incolumis redditus est, magnoque & suorum gaudio & omnium favore exceptus.

Vix domum reversus Noster omnem operam suam eo contulit, ut ne Civium de studiis suis conceptam expectationem eluderet, aut fructum eorum atque usuram illis invideret: egregio sane exemplo omnibusque imitando, qui solo titulo superbientes tempus suum otiose consumere malunt. Causas itaque in foro egit, clientibus consilio adfuit, & patrocinium illorum suscepit lubens; non tamen quibuscunque negotiis, vel injustissimis, interserviens, sed hoc ipso advocati munere sanctissimo tanta virtute, fide, dexteritate & integritate tanta defungens, ut primarius justitiae Antistes haberetur, & a bonis omnibus causarum patronus expectetur unus LENGERCKENIUS. Neque etiam in iis rebus, quae ad ipsam Rempubl. spectabant, industriam suam desiderari unquam passus est, sed consiliis suis veram civitatis salutem promovere nullo non tempore, etiam turbulentissimo, annisus est. Quae uti perspecta erant omnibus, ita vel maxime Amplissimis Patribus Patribus non obscura esse poterant. Factum ita est, ut Anno MDCLXXXVIII die septimo mensis Julii, Summo Numine suffragia dirigente, Noster in Ordinem Senatorium cooptaretur, suffectus in locum Soceri sui paulo ante pie demortui. Quanto gaudio Senatorem novum universa Civitas profecta fuisse, quantamque de eo spem conceperint Viri boni, dicendo satis exprimere nequeo, nec opus est, cum supersint adhuc plurimi communis istius laetitiae testes gravissimi. Neque profecto votis eorum atque expectationi defuit: quin potius, uti attulerat omnia, quae ad tantum munus recte gerendum erant necessaria, ingenium summum, praesentiam animi admirabilem, prudentiam singularem, diligentiam incredibilem, eloquentiam perfectam, peritiam Juris conlummatam, probitatem excellentissimam, amorem

ardorem justitiæ incorruptum; comitatem erga omnes inimitabilem; usum denique rerum varium & maximum; ita partes Senatoris sibi demandatas cum laude cueri vehementer laboravit. Idque non primis tantum magistratus sui temporibus præstitit, quæ, restitutis paulo ante rebus Civitatis desperatissimis, pacatio-  
 ra aliquantum erant, sed & iis, quæ inde ab infelice illo ob B. HORBIUM, Pastorem ad D. Nicolai meritissimum, excitato certamine Urbem nostram continuis & perniciosis dissensionibus misere vexarunt, quibus tollendis Noster ea semper consilia subministravit, quæ ad Patriæ commoda conservanda facere videbantur. Longum esset commemorare singula, quæ in Rempubl. contulit: sed hoc breve dicam, nullum negotium minimum maximum esse gestum, ad quod LENGERCKENIUS non fuerit adhibitus. Neque in Patria solum suæ istius solertiæ specimina exhibuit, sed in binis quoque illustribus legationibus, quas Reipubl. nomine ad Reverendissimum Serenissimumque Monasterii Episcopum & ad IMPERATOREM Augustissimum obiit, in quibus nova dedit capacitatis animi documenta, feliciter expeditis omnibus, quorum causa illuc missus fuerat. Accessit illis anno MDCXCV. amplissimum quidem illud sed infinitis molestiis cumulatam Præturæ munus, cui ille præter morem toto triennio, temporibus perquam miseris & luctuosis, vacare debuit. Sed ita decretum erat, ut quem ad summum in Republ. nostra gradum pro-  
 vohere volebat Summi Numinis providentia sapientissima, omnibus is muneribus perfungeretur, quibus ad sustinendam dignitatem illam erigendamque urbem ferre collapsam fieret instructor atque paratior. Licet enim jam brevi tempore post, quam in Senatum receptus erat, dignus fuerit habitus, qui inter Candidatos Consulares referretur, non tamen citius ad illud fastigium ascendere ipsum voluit DEUS, quam anno superioris sæculi XCVII. quo anno, mense Novembri, die octavo & decimo, CONSUL summo totius Civitatis applausu creatus est. Tum vero novo illo & maximo honore auctus omnes cogitationes in id impendit, ut Rempubl. quam ille acceperat turbulentam, tranquillio-rem efficeret, & posteris aliquando traderet florentissimam, Civibusque adeo dijudicandum relinqueret, utrum Senator, an Consul fuerit melior. Quod dum ipse cum ceteris Patriæ Patribus Amplissimis una curavit sedulo, dici vix potest, quantas molestias, ærumnas ac sollicitudines duodecim illis, quibus CONSUL Urbi præfuit, annis devoraverit. Neminem sane illud vel cogitatione assecuturum unquam existimo: ita turbata erant omnia, ut licet consilia suppeditarentur saluberrima, tanto malo tamen tollendo ea sufficere haud valerent. Quin sufflantibus iis, quos prohibuisse fas erat, eò res devenit, ut jubente IMPERATORE Augustissimo, Potentissimi Circuli inferioris Saxonie Principes ad avertendam Civitatis ruinam certissimam advolare, & opera Ministrorum suorum Excellentissimorum ad id negotium delegatorum rebus nostris pacandis prospicere necesse habuerint; quorum immensis laboribus, moderante Celsissimo Comite a SCHOENBORN, Legato Cæsareo ad Circulum Saxonie inferioris Illustrissimo, illas brevi in eum statum adductum iri speramus & certo confidimus, ut & Magistratui Amplissimo sua auctoritas, & Civitati perpetua tranquillitas reddatur. Quam lætam rerum conversionem licet B. CONSUL, quod ipsi laborum præmium omnino fuisset optandum, oculis intueri haud potuerit, morte præmatura nobis ereptus, omne tamen, quod exspectamus, illius quoque industria, prudentiæ, fidei atque dexteritati tribuendum esse confitebuntur omnes, quibus incredibiles ipsius occupationes fuerunt cognitæ, ut vel propterea omnis posteritas CONSULEM a LENGERCKEN dignum iudicatura sit, qui perpetuis monumentis celebretur.

Vidimus publica tanti Viri negotia: Vitam illius privatam cognoscere desiderabunt fortasse plurimi. Hanc si dixerò sanctissimam, nihil a vero dixerò alienum. Quis enim non jure admiretur in ipso aut insignem Verbi divini amorem, quod, tanquam omnis sapientiæ, etiam civilis, fontem limpidissimum, & quotidie attente legere intermilit nunquam, & in publico coetu audivit lubentissime? aut summum ardorem precum, quibus bona quævis & sibi & Reip. necessaria a DEO O. M. ferventissime expetere solitus fuit? aut animi integritatem ac probitatem singularem, qua DEO suo placere studuit? aut raram in tanto fastigio, quam omnibus



bis præstitit, humanitatem aut frugalissimam vivendi rationem, longe a splendida illa, quam hodie sectantur omnes, pompa tenuissimam, quam & suos servare voluit constantissime? aut reliquas, quibus apud omnes, magnos, parvos, cives, exteros, amicos, hostes meruit admirationem maximam, virtutes? Ita enim, ut brevibus complectar omnia, ita se gessit ubique, ut non minus boni Patrisfamilias ac Christiani optimi, quam egregii Civis, Senatoris & CONSULIS, munia implevisse dicendus sit.

Matrimonium contraxit anno MDCLXXX, cum Nobilissima omnibusque, quæ sexum illum ornant, virtutibus cumulatissima Virgine, ANNA MARGARETHA, Dn. CASPARIS WESTERMANNI, J. U. L. & Reip. hujus Senatoris quondam meritissimi, filia natu maxima, cum qua annos fere triginta suavissime transegit; octo factus liberorum pater, Filiorum trium, ex quibus duo adhuc divino beneficio superstites sunt, unus Dn. CASPAR à LENGERCCKE, J. U. D. Consultissimus & Rev. Capituli Hamburgensis Canonicus Spectatissimus, & alter JOH. GEORGIUS, natu minor, tertius ex hac vita migrando B. Patrem antecessit: cum & Filiarum quinque & forma pulcherrima moribusque egregiis præstantissimarum, quarum duæ itidem cælum jam petierunt, ceteræ vero, MARGARETHA natu maxima, felicissimo matrimonio juncta Viro Nobilissimo, Amplissimo atque Consultissimo, Dn. D. JOHANNI ANDERSONO, Reip. hujus Syndico gravissimo, Viro de patria summo studio immortaliter merenti, quæ & quinquies avum fecit B. Consulem, tribus quidem nepotibus beate jam defunctis, & duobus adhuc vitam agentibus; nec non GERTRUDIS ELISABETHA & GESA DOROTHEA vita adhuc, quamdiu summo rerum humanarum Arbitro visum fuerit, fruuntur. Quibus omnibus ac singulis obitu Mariti carissimi dilectissimique, Patris ac Soceri indulgentissimi, Avi amantissimi afflictis & exanimatis, & præterea Affini Magnifico & summe Venerabili, Dn. PETRO WESTERMANNO, J. U. D. & Capituli Decano Amplissimo, ac ceteris Cognatis honoratissimis, jacturam domesticam acerbissime lugentibus, ut DEUS ipse solacium & dolorum fomentum afferre velit præsentissimum, est quod boni omnes mecum ex animo vovent & optant.

Sed ad novissimam B. CONSULIS Nostri fata enarranda, quod ipsum non queo sine summo dolore facere, pergo. Viribus a natura præditus erat maximis & integerrimis, quibus, absque ingentibus illis laboribus ærumnisque fuisset, ætatem longissime potuisset producere. At crescentibus malis Reip. ætatis morbus ille exitialis, qui CONSULEM nobis abstulit dignissimum, qui ad summam senectutem viveret. Adorta enim est ipsum ante septimanas aliquot febris gravissima in ipsa curia, cui hoc anno Consul, primus præsidebat, idque tanto impetu, ut ex ea domum discedere cogeretur. Superavit tamen primam istam morbi vim, adhibitis medicamentis salutaribus; quæ prudentia & provida cura Medici Experientissimi paraverat, ut in curiam quoque redire ac Reip. rursus operam suam semel atque iterum præstare posset. Enimvero recrudescente malo & vires jam debilitatas majore violentia invadente penitusque prosterneute, accidentibus & affectibus aliis & acerbis torminibus, quæ nullis remediis deliniri & tolli poterant, mortem sibi certissime imminere sensit. Abjecta itaque omnium mundanarum humanarumque cura cogitationes suas soli beatæ æternitatis mancipavit, iisque, uti per totam vitam, ita nunc maxime sub futurum ex ea excessum sese unice delectavit, in Servatorem suum JESUM omnem fiduciam collocans ipsiusque merito firmissime innixus. Hunc ut complecteretur arctius, quoad in terris agebat, eo brevi fruiturus, die Dominico, mensis hujus Novembris septimo & octavo, summo mane sacra Eucharistia refocillari voluit, certus, isto articulo viatico instructum se reliquum vitæ cursum felicissime confecturum; quod & re ipsa consecutus est. Acceptis enim dapibus illis salutaribus verèque divinis, eodem die paulo ante horam duodecimam, animo tranquillo, mente integra, obitu leni ac placido, de vita hac misera decessit, ac in Servatore suo vere obdormivit; anima ad infinita æternæ beatitudinis gaudia recepta, cum vixisset annos octo & quinquaginta, menses tres, dies viginti, Consulatu functus annos duodecim.

Corpus exanime terræ hoc ipso die mandabitur; cui prolixis ac dignis tanto Viro exequiis deducendo ut Omnes Omnium Ordinum Viri Honoratissimi, & omnes ipsius in Remp. merita grato animò recolentes, adesse velint, quod & sponte sua facturos confidimus, est quod observanter & officiose rogamus: DEUM O. M. ardentissimis precibus exorantes, ut Consulem PETRI à LENGERCCKE similem, hoc est OPTIMUM Patriæ reddere dignetur.

P. P. Hamburgi, VII. Calend. Decembr. Anno  
Christiano MDCCIX.